

num susceptionem, quod significatur in dicto scholio ad Navarrum. Sed tamen negandum non est illam ex se esse veram consecrationem, et consequenter proprium et solemnem actum characteris sacerdotalis; idemque est manifestum in actu cantandi solemniter Epistolam aut Evangelium. Vera ergo responsio est, illud quidem ministerium esse ab Ordine suscepto, tamen non esse illud, propter quod jura ferunt hanc irregularitatem, quia solum illam ferunt propter usum Ordinis, qui omnino extra ipsam primam ordinationem exercetur.

75. *Ad exemplum respondetur.* — Ad primum exemplum responderi potest negando consequentiam, quidquid sit de antecedenti; nam si ibi incurritur irregularitas, ideo est, quia jura absolute faciunt irregularem eum, qui celebrat in loco interdicto, vel solemnem actum Ordinis exercet; nec distinguunt, an exercent in ordinatione, vel postea. At vero in præsentia jura, quæ ferunt hanc irregularitatem, satis distinguunt, et declarant se loqui de Ordinis usu post seu extra ipsam ordinationem. Deinde negari potest antecedens, de quo suo loco dicemus.

76. *Respondetur secundo exemplo.* — In secundo exemplo falsum esse existimo, quod assumitur; fieri enim non potest, quod aliquis fiat irregularis ex eo præcise, quod prohibitus sub excommunicatione ipso facto ne Ordines suscipiat, nihilominus ordinatur. Nam ille licet per ordinationem excommunicatus maneat, non tamen recipit Ordines excommunicatus, sed potius e contrario jam ordinatus excommunicationem incurrit; cum enim non excommunicetur, nisi quia ordinatur, prius natura ordinatus est, quam excommunicatus; postquam vero excommunicatus est, nihil sacrum agit aut recipit propter quod irregularis sit. Estque optimum simile, quod affert Sylvester, verb. *Irregularitas*, quæst. 43, punct. 2, nam si sub excommunicatione ipso facto prohibitum sit, ne in tali oratorio Missa dicatur, qui ibi primam Missam dixerit, fiet excommunicatus, non irregularis; si autem priusquam absolvatur, dicat secundam, irregularis fiet; quia quando dixit primam, non erat ligatus censura, nec illam contraxit, donec Missam absolvit; et ita jam excommunicatus nihil egit, quo irregularis fieret, quod tamen faceret, si secundam Missam celebraret; et idem dicit in simili Maiol., lib. 2 de Irregular., c. 48, num. 5; ita ergo est omnino in proposito. Neque in illis c. de Eo

qui furt. ordin. suscep., contrarium dicitur. Nam ut supra notavi, in primo dicitur, difficilius esse dispensandum cum eo, qui contempto anathemate furtive Ordines suscepit, quam cum eo, qui absque anathemate id fecit; non vero dicitur aliud genus censuræ, vel inhabilitatis contrahi. Et idem dici posset ad aliud cap., quanquam ibi, quia duo Ordines suscepti fuerunt, in diaconatus susceptione recte dicitur irregularitas, vel potius nova suspensio contracta, quia in subdiaconatu jam ille excommunicationem contraxerat.

77. *Tertio exemplo satisfi.* — Denique quod in tertio exemplo additur de eo, qui contra latam excommunicationem ordinatur, et in ipsa ordinatione ministerium exercet, apparentius est quod assumitur; nihilominus tamen etiam id negandum videtur cum Medina supra, ex eodem fundamento, quod illud ministerium non videtur distinctum ab ordinatione ipsa. Ut in dicto exemplo Sylvestri, qui primam Missam dicit in loco prohibito sub excommunicatione, excommunicationem incurrit statim ac substantiale sacrificium perficit, et tamen licet postea orationes ultimas dicat, et alia perficiat, non fit irregularis, quia non censetur novum actum Ordinis exercere post excommunicationem contractam; ita ergo in nostro, et in proposito casu, dicendum censeo.

## SECTIO II.

Utrum aliqua suspensio ipso jure lata sit propter pravam usum Ordinis cum violatione censuræ.

1. *Multiplex modus peccandi in Ordinum ministerio absque suspensione.* — Hic solum de clericis Episcopo inferioribus agimus, nam de Episcopis postea dicemus section. 5. Et sicut in suscipiendis Ordinibus variis modis peccatur, ita in eorum ministerio multiplex potest esse abusus. Primus est generalis, scilicet, quod in peccato fiat, juxta ea quæ tractavimus in 3 tomo, disp. 43, sect. 6, et circa hoc nullam invenio suspensionem ipso jure latam, præter ea quæ dicam sect. 4. Alius modus pravitatis est, si clericus utatur Ordine suo ritu insufficiente ad valorem actus seu præter Christi intentionem, ut si tentet sacerdos conficere in aqua, pane hordeaceo; aut si velit baptizare aliis verbis, quam sint in usu Ecclesiæ, aut alio simili modo; et propter hoc etiam peccati genus nullam invenio suspensionem ipso jure latam, sed interdum aliquam irregularitatem, ut propter

rebaptizationem, ut in 3 tomo etiam tactum est, et inferius videbimus. Aliquando etiam fertur excommunicatio ipso jure propter hoc peccatum, ut ex superius tractatis de excommunicatione patet. Tertius modus malitiæ esse potest, si clericus utatur suo Ordine contra specialem prohibitionem Ecclesiæ, quæ per censuras fit. Notanter autem dico, quæ per censuras fit, quia quælibet alia prohibitio, quæ simpliciter et absque censura fieri potest per Ecclesiasticum Prælatum, non habet ipso jure suspensionem annexam, nisi ab homine imponatur, quia nullum est de hoc latum decretum. Igitur in hoc genere delicti solent duo vel tres casus numerari.

*Prima suspensio propter pravam usum Ordinis examinatur et excluditur.*

2. Prima ergo suspensio dicitur esse ipso jure lata in clericos, qui solemniter, et præter modum in jure concessum utuntur Ordine suo in loco interdicto, et censetur hæc suspensio esse ab officio et beneficio. Ita Sylvester, verb. *Interdictum*, 6, num. 3; Angelus, *Interdictum*, 7, num. 7; Armilla, verb. *Interdictum*, num. 58, qui citat Hostiensem, Innocentium, Abbatem, Paludanum. Citatur ab his auctoribus c. Tanta, de Excessibus Prælat. Sed in eo capit. duæ sunt partes seu pœnales sententiæ. Prior est, quam fert Pontifex contra quemdam Episcopum Colubriensem, qui interdictum violaverat; et Pontifex declarat omnes beneficiorum collationes, censurarum prolationes, et similes actiones ab illo factas post violationem interdicti irritas esse et inanes. In quo supponere videtur illum fuisse suspensum a jurisdictione, atque adeo ab aliquo officio. Verumtamen in illa parte nulla est mentio suspensionis ab Ordine, nec etiam a beneficio. Altera pars illius capituli est, in qua præcipit Pontifex, plures alios clericos, qui violaverant interdictum, suspendi ab officio et beneficio. Verba autem textus sunt: *Omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, suspendas auctoritate Apostolica ab officio et beneficio.* Quæ verba, ut per se patet, non continent suspensionem ipso jure latam, sed ferendam. Citari præterea solet cap. Postulasti, § Quæ scivistis, de Cleric. excom. min. Sed ibi supponitur quidem in eo casu excommunicatio lata; et additur hujusmodi violatores interdicti, si clerici seculares sint, esse beneficiis spoliandos; si autem monachi, in arctioribus

monasteriis ad agendam pœnitentiam esse detrudendos; alia vero pœna ipso facto incurrenda ibi non imponitur; nec ego credo excommunicationem illam fuisse a jure, sed ab homine, quia nec verba textus aliud postulant, nec talis excommunicatio in jure invenitur, nec auctores illius meminerunt.

3. *C. Is qui, de Sent. excom., in 6.* — Rursus citatur c. Is qui, § Quis vero, de Sent. excom., in 6, ubi non suspensio, sed irregularitas Summo Pontifici reservata propter hoc delictum incurri dicitur; additurque hujusmodi sic delinquentem neque eligibilem esse, neque cum aliis ad eligendum admitti debere. Et quidem illud prius, scilicet esse ineligibilem, in ipsa irregularitate includitur; secundum autem minime, quia irregularitas non privat jurisdictione, vel quasi jurisdictione, ut suo loco dicemus. Et ita quoad hanc partem videtur ibi imponi quoddam genus suspensionis, scilicet a potestate eligendi; quamvis si verba textus præcise et limitate intelligantur, ut intelligi debent in materia pœnali, non satis ex eis colligitur suspensio ipso jure; verba enim sunt: *Adeo efficitur ineligibilis, quod neque ad eligendum cum aliis deberet admitti.* In quibus non dicitur illum esse ipso jure suspensum, ita ut si ad eligendum admittatur, actio ejus nulla sit; sed solum dicitur, *non debere admitti*; in quo significatur hominum factum requiri, ut ille ab eligendo excludatur; ideoque pœnam illam non esse talem, quæ ipso jure incurritur, sed quæ imponenda sit. Citatur etiam c. 4 de Postulat. Prælat., in quo Summus Pontifex cujusdam postulationem non admittit, eo quod interdictum violaverat; et ideo persona indigna erat, quæ postulari posset. Sed in primis illa indignitas non est propria suspensio, neque etiam est propria clericorum, sed de laico etiam violante interdictum verificari; et deinde in ipsa irregularitate contenta intelligitur, quia etiam irregularis indignus est ut postuletur; imo ex vi ipsius criminis violandi interdictum, absque alia censura efficitur quis indignus, ut ad Prælaturam Ecclesiasticam postuletur.

4. *Cap. Episcoporum, de Privileg., in 6.* — Præterea citatur cap. Episcoporum, de Privileg., in 6, ubi propter illud crimen suspenditur quis ab ingressu Ecclesiæ. Sed illa non est propria suspensio de qua agimus, quæ solis clericis conveniat, sed est communis omnibus laicis; atque ita magis pertinet ad censuram interdicti, de qua postea. Adducitur etiam

cap. Quia diversitatem, de Concess. præbend., ad hoc, ut clericus, qui sic deliquit contra interdictum, non possit conferre beneficium; at hoc ibi non dicitur, sed solum de Episcopo suspensio sermo est, et de illo verum est, si sit suspensus ab officio, non posse conferre beneficium; tamen probandum esset prius ob violationem interdicti manere sic suspensum, quod ibi non dicitur. Igitur nullum in jure textum invenio, quo hæc suspensio lata sit, prout est censura ab irregularitate distincta, sed solum ut in illa includitur.

*Secunda etiam suspensio excluditur.*

5. Secundus casus similis præcedenti est de clerico, qui celebrat coram excommunicato, vel interdicto, vel illum admittit ad divina, vel ad sepulturam Ecclesiasticam; illum enim aliqui asserunt, suspensum ipso jure manere, ex dict. cap. Episcoporum, de Privil., in 6. Verumtamen, ut dixi, ibi non fertur pœna suspensionis clericorum propria, sed interdicti communis laicis; et præterea intelligenda est illa pœna quoad excommunicatos vitandos juxta Extravagantem *Ad evitanda*, ut latius exposuimus supra, disp. 40, sect. 2, et disp. 42, sect. 4 et 4.

*Ultima suspensio ob pravam usum muneris sacerdotalis.*

6. Tertius casus specialiter addi solet de clerico tradente Christianæ sepulturæ corpus publici usurarii in tali peccato morientis. Quem casum hic numero, quia hic actus ad Ordinem suo modo pertinere videtur, et prohibitio seu pœna illa tanquam censura quædam est respectu ipsius usurarii. Habetur autem hæc suspensio in cap. Quia in omnibus, de Usuris. Ubi non solum propter sepulturam, sed etiam propter crimen accipiendi oblationes ab usurario manifesto quædam suspensio fertur, his verbis: *Qui autem acceperit, vel Christianæ tradiderit sepulturæ, et quæ accepit reddere compellatur, et donec ad arbitrium Episcopi satisfaciatur, ab officii sui maneat executione suspensus.* Ubi duo prohibentur, scilicet, et oblationes suscipere a publico usurario, et illius corpus sepulturæ tradere. Prohibetur etiam ibi sacerdotibus, ne hos usurarios admittant ad communionem altaris; tamen contra facientes oppositum nulla specialis pœna imponitur. In primis

vero duobus casibus imponitur pœna suspensionis ab officio, et in primo additur restitutio rerum, quæ in oblationem susceptæ sunt. Verumtamen quoad hanc partem non imponitur pœna ipso jure; neque est ibi aliquod verbum, quo significetur, impediri translationem domini; solum enim dicitur, *Quæ accepit reddere compellatur*; ergo donec compellatur, non tenebitur restituere ex vi illius legis. Quod addo, quia cum usurarii bona censeantur injuste acquisita, et ideo obnoxia restitutioni, res ab ipso oblatae poterunt ex hoc capite etiam esse restitutioni obnoxia. Si tamen usurarius habeat plura bona, ex quibus restituere possit, cessabit illa obligatio. Et fortasse ideo non explicatur in illo textu, cui cogendus sit sacerdos reddere illa bona oblata, sed id videtur arbitrio iudicis relinqui, quia si necessaria sint ad plenam restitutionem usurarum faciendam, reddenda erunt ipsi usurario, ut ea restituat, vel ipsismet quibus debentur, si manifesti sint; alioqui poterunt, ut opinor, applicari pauperibus, quia jam usurarius, quantum in se est, abdicavit a se dominium illorum, et in illius favorem cederet, si ei redderentur; sed de hoc latius alibi.

7. *Sub hac pœna prohibentur oblationes in Missæ offertorio accipi.* — At vero suspensio ipso jure fertur, et propter duas actiones non simul, sed divisim sumptas, ita ut quælibet earum sufficiat ad suspensionem incurrendam, ut patet ex particula disjunctiva, *Qui acceperit, vel tradiderit*; atque ita sunt duæ suspensiones, licet eodem textu contentæ. Unde, si aliquis sacerdos utramque illarum committat, duas suspensiones incurret, ideoque duplici indigebit absolute, vel una, quæ utramque causam respiciat. Prior ergo actio est recipere oblationes usurarii. Quid autem nomine oblationum intelligendum sit, inquiri potest; tamen hoc alterius considerationis est. Videatur D. Thom., 2. 2. quæst. 85, art. 3, ad 3, ubi oblationem esse ait, quidquid Deo directe offertur, quod latius prosequitur tota quæst. 86. Quod vero ad præsens spectat, tribus modis possunt fieri hæc oblationes. Primo in Missa ad offertorium, prout est in usu. Et hic modus suscipiendi oblationes videtur maxime ibi prohibitus, quia et illæ propriissime oblationes dicuntur, et illas ab usurario recipere majus est Ecclesiæ scandalum.

8. *An prohibeantur accipi stipendia pro divinis officiis ab usurariis.* — Secundo offe-

runtur hæc dona extra Missam non mere gratis, sed tanquam stipendium seu eleemosyna, ut sacrificia vel alia officia divina pro creditibus fiant. Quomodo in c. Sacris, de Sent. excom., prohibentur sacerdotes recipere oblationes pro excommunicato mortuo, antequam absolvatur, etiamsi cum signis contritionis obierit. Et de hoc genere oblationis dubitari potest, an in illo textu comprehendatur, quia oblationes proprie significant dona gratuita, ut D. Thom. supra dicit; hæc autem non gratis dantur, sed ex implicito pacto justitiæ; et ideo non sunt tam propriæ oblationes. Præterea non est prohibitum orare pro usurario publico; non est enim excommunicatus; et ideo licet pro illo sacrificium offerre, ut Deus illum convertat; ergo etiam licebit ab illo stipendium accipere pro Missa dicenda, vel aliquid simile. Quare probabile censeo hoc ibi non prohiberi; quod secus est in excommunicato, a quo non licet hujusmodi oblationes accipere propter prohibitam communicationem cum illo, ut recte Navar., de Oratione, c. 49, num. 67. In illo ergo casu, non incurretur suspensio, imo neque erit malum, per se loquendo, secluso scandalo. Sed quid si recipiantur hæc stipendia pro usurario jam mortuo in suo peccato publico? Respondeo id esse malum ex alio capite, quia ille est publice condemnatus, quantum Ecclesiæ constare potest; et ideo non licet pro illo sacrificium offerre, vel publicas orationes. Tamen ex vi illius decreti non incurretur illa suspensio, propter rationem factam; et præterea, quia ibi non prohibetur sub illa censura suscipere eleemosynam *pro usurario*, sed *ab usurario*; unde nisi oblationes ejus nomine fiant (tunc enim censentur ab ipso fieri) non videntur sub illa prohibitionem comprehendendi.

9. *Quid si oblationes in subsidium Ecclesiæ aut ejus ministrorum dentur.* — Tertium genus oblationis est, quando simpliciter aliquid offertur Ecclesiæ, vel ministris ejus in eleemosynam et subsidium, et hæc si dentur ministris Ecclesiæ ut tales sunt, et non tantum quia sunt pauperes (ut dari solet eleemosyna religioso vel sacerdoti pauperi), vere computantur inter oblationes Ecclesiasticas, juxta doctrinam D. Thom. supra; et ideo etiam de his procedit dicta prohibitio et pœna. Quod ita sentit Sylvest., verb. *Decima*. Ubi adhibet limitationem, nisi hujusmodi oblationes sint alias debite ex consuetudine, vel alio titulo ex his, quos ponit D. Thom. dict. quæst. 86,

art. 5, quia usurarius propter suum crimen non debet fieri melioris conditionis, aut liberari obligatione. Et confirmatur, nam ab usurario licet oblationes sic debitas exigere, sicut et alia debita, ut in superioribus dictum est, et notavit Rich., d. 48, art. 6, quæst. 4. Intelligendum est tamen, dummodo usurarius habeat bona, ex quibus tales oblationes solvat, præter ea, quæ restitutioni usurarum obnoxia sunt, quia illa non sunt sua, ut in oblationem dari aut recipi possint, ut etiam Sylvester notavit. Et hæc de illa prima causa hujus suspensionis videntur sufficere. De altera vero causa, scilicet, tradendi usurarium sepulturæ Ecclesiasticæ, plura essent dicenda, nisi in simili tradita essent superius disp. 42, sect. 4, ex quo loco peti potest hujus partis declaratio.

10. *Quomodo habeat locum suspensio hæc post Extravag.* Ad evitanda. — Solum potest circa hoc decretum dubitari, an post Extravag. *Ad evitanda*, habeat locum hæc suspensio. Et ratio dubii esse potest, quia ratione illius Extravagantis non tenemur vitare in sacris, vel in aliis rebus quemquam, nisi sit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clerici; ergo publicus usurarius, si non sit excommunicatus nominatim, non erit vitandus, vel in oblationibus recipiendis, vel in sepultura sacra. Quidam respondent, per illam Extravagantem solum esse concessum, ne teneamur vitare quempiam titulo censuræ in eum latae, nisi nominatim denunciatus est; publicum autem usurarium non vitari in illis duobus actibus propter propriam censuram, sed solum in odium criminis et propter scandalum vitandum; ideoque, non obstante dicta Extravagante, durare prohibitionem et pœnam hujus decreti. Sed contra hanc interpretationem videntur aperte facere verba dictæ Extravag. quæ sic habent: *Constituimus, ut nemo posthac teneatur abstinere, et separare se, neque evitare communicationem alicujus, ratione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut a jure generaliter promulgatæ.* Quod ultimum verbum comprehendit præsentem casum, de quo agimus, quia non tenentur sacerdotes excludere usurarium publicum ab his actibus, nisi ratione prohibitionis generali jure latae. Et ita censeo dicendum hanc suspensionem non incurri, donec usurarius sit specialiter, et nominatim per sententiam condemnatus, vel saltem de tali crimine declaratus, quia alias nullum com-

mittitur peccatum contra illam prohibitionem, et consequenter nec poena ejus incurritur. Atque in hunc modum est limitanda hæc suspensio, quam solam ex toto discursu hujus sectionis colligimus.

### SECTIO III.

In quibus casibus incurrant clerici suspensionem ipso jure propter peccata contra alia munera vel obligationes sibi proprias.

1. *Prima suspensio clerici propter vestium abusum.* — Post usum Ordinis proxime spectant ad clericos obligationes aliæ, quæ ex Ecclesiasticis muneribus, vel ex decentia talis status oriuntur, et ob culpas, quæ in hoc genere committuntur, suspensiones aliquæ sunt jure ipso latae, quas breviter examinabimus, atque explicabimus. Prima est de his, qui non utuntur vestitu ad formam eodem jure statutam, nam hi, si beneficium habeant, suspenduntur per sex menses, aut per annum, juxta delicti qualitatem eodem jure expressam. Ita habetur in Clement. 2 de Vita et honest. cleric. Circa quam, quia verba textus sunt clara, solum annoto, quamvis culpa hæc communis esse possit omnibus clericis, suspensionis tamen poenam non imponi omnibus, sed illis tantum, qui beneficium habent Ecclesiasticum; ita enim in textu expresse dicitur, et ipsa poena suspensionis a beneficio id exigit; et ideo pro clericis non beneficiatis idem crimen committentibus alia poena ibi fertur, quæ in textu videri potest. Advertit autem Navarrus, cap. 27, n. 157, eam censuram incurri, quando clericus communiter utitur vestibus illic prohibitis; non vero si semel aut iterum aliqua occasione extraordinaria illis utatur, et citat Cardinalem ibi, num. 27. Denique in hoc plurimum est consideranda consuetudo, et an secundum prudentium hominum arbitrium aliquis peccet mortaliter contra illam prohibitionem, utendo hac vel illa veste; nam si non ita peccat, non existimo incurrere poenam illam adeo gravem. Multa vero minutatim distinguuntur in illa Clementina, quæ aut non sunt usu recepta, aut non sub ea æstimatione, ut mortale peccatum existimetur tali veste uti, sed ad summum indecentia quædam venialis.

2. *Secunda propter Ecclesiarum gravamen.* — Secunda est de his clericis beneficium habentibus, seu curam alicujus Ecclesiæ, qui eam pro alienis debitis gravant, aut litteras, seu sigilla alicui concedunt, quibus possit

Ecclesia obligari, nam qui hoc facere præsumunt, ab administratione spiritualium et temporalium rerum ipso jure suspenduntur in c. 2 extra de Solutionibus. Quæ lex et poena non comprehendit Episcopos, ut bene ibi Glossa notat ex cap. Quia periculosum, de Sent. excom., in 6, quod de omnibus casibus in hac sectione tractandis dictum intelligatur. Addit vero Angelus, verb. *Suspensio*, 4, num. 10, quem sequitur Sylvest., num. 6, posse Episcopum in hac suspensione dispensare; quod tamen facere non debet, nisi prius immunitati Ecclesiæ fuerit satisfactum juxta cap. Cum olim, de Verb. signific.; quod ipsi nullo jure probant, et ideo censeo generalem regulam traditam supra ad hunc casum esse extendendam.

3. *Tertia in occupantes bona Prælati defuncti.* — Tertius casus est de his, qui vacante Sede alicujus Cathedralis, regularis aut collegiatae Ecclesiæ, occupant bona, quæ ad Prælatum defunctum spectant, vel quæ tempore vacationis obveniunt, et in utilitatem Ecclesiæ expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari; qui suspenduntur ab officio, et beneficiis quibuscumque, donec plene restituerint quidquid de prædictis bonis acceperint. Fertur autem illa censura in Capitulum, collegia, et singulares personas, quæ talia bona occupant, inter se dividunt, subripiunt, dilapidant, dissipant, et consumunt. Habeturque in cap. Quia sæpe, de Elect., in 6. Quid autem bonorum nomine in ea constitutione intelligatur, ex generali appellatione satis constat; comprehenduntur enim omnia bona tam mobilia quam immobilia; tamen ex vi illius juris solum comprehenduntur ea, quæ vel a Prælato defuncto possidebantur, vel vacationis tempore ex fructibus talis Ecclesiæ proveniunt. Tamen in Clement. penult. de Electione, fit extensio, ut sub illis bonis intelligatur comprehendi omne emolumentum, quod provenit ex jurisdictione, et sigillo curiæ Ecclesiasticæ, vel secularis, aut quidquid alias undecumque ad Ecclesiam pertineret, si non vacaret, deductis expensis, et addita limitatione, scilicet: *Nisi vacante Sede jurisdictio cum ejus emolumento ad aliquas singulares personas ex consuetudine, aut aliquo speciali privilegio, aut titulo devolvatur*; nam illi non privantur jure suo propter illam constitutionem, ut in eadem advertitur. In qua limitatione nonnulla advertenda sunt. Primum, illam solum adhiberi circa jurisdictionem, et emo-

lumentum ejus, et ita Clemens in nulla re limitat priorem constitutionem Bonifacii, qui voluit, ut nullo privilegio vel consuetudine obstante prior constitutio observaretur; Clemens autem solum quantum ad eam partem extensionis, quam ipse addit, voluit illam limitationem adjungere. Deinde est considerandum, Clementem non loqui de privilegiis personarum secundum se, sed *ratione dignitatum, quas obtinent*; merito enim voluit dignitatem non privari jurisdictione, quæ ad illam pro eo tempore justa ratione seu titulo pertinet. Quod si is, qui talem habet dignitatem, jurisdictionem juste exercet, etiam emolumento ejus merito frui debet, cum illud detur ratione muneris. Deinde in priori textu adverto solum loqui de Episcopis vel Prælati alicujus Ecclesiæ collegiatae, vel regularis, et ideo non extendi ad bona, quæ ad inferiores beneficiatos spectant. Notari vero debet alia lex lata in cap. ult. de Offic. ordin., in 6, per quam quidem nihil derogatur dict. cap. Quia sæpe, ut in fine ejusdem textus dicitur; sed fertur specialis suspensio ab officio et beneficio contra omnes Ecclesiasticas personas Episcopis inferiores, quæ vacantibus dignitatibus, personatibus, prioritatibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus eorundem, bona in ipsis inventa, sive vacationis tempore venientia, occupare, aut in usus suos quoquomodo convertere præsumant, nisi aliquo justo titulo ad illos pertineant.

4. *Quarta suspensio exponitur.* — Quarta suspensio ipso jure fertur in Clement. 2 de Magistris, ubi cancellarius Universitatis, vel ille, ad quem spectat gradum magistratus conferre, ab eo munere per sex menses suspenditur, si cuiquam talem gradum contulerit non prius recepto a tali persona juramento, quod ultra certam summam ibi taxatam, scilicet, trium millium Turonensium argenteorum non expendat. De qua summa pecuniæ videri potest Covarruvias, in Veterum collatione numismatum, c. 3, § 2, num. 8, ubi in summa dicit, Turonensem argenteum quarta parta minorem esse Castellano argenteo, æstimatur enim (inquit) viginti quinque nostris æreis maravedis; quamobrem juxta illam constitutionem nemo poterit in doctorali gradu, et honore adipiscendo expendere ultra ducentos simplices ducatos Castellæ, qui æquivalent ducentis et viginti cruciatis Lu-

sitanis. Circa illam vero suspensionem duo occurrunt notanda. Unum est, illam non videri proprie Ecclesiasticam censuram, quia non est a beneficio, vel ab officio Ecclesiastico; neque est propria clericorum, præsertim quoad gradus doctoratus in utroque jure, aut medicina et artibus. Unde ait Glossa ult. in dict. Clement., qui violat hanc suspensionem, non fieri irregularem, quia non violat Ecclesiasticam censuram. Deinde observo constitutionem hanc non esse usu receptam in multis academiis; in quibus et tale juramentum non exigitur, et sunt propriæ consuetudines receptæ et approbatæ, juxta quas interdum longe majores fiunt expensæ; nec propterea censetur incurri illa suspensio; ideoque in hac re consuetudini standum est.

5. *Quinta in delinquentes in electione Episcoporum.* — Quinta suspensio lata est contra electores Episcoporum, qui infra octo dies postquam commode potuerint, electionem factam electo non præsentaverint, et in hoc culpabiles extiterint; hi enim ab omnibus beneficiis, quæ in illa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium suspenduntur; et si ad illa intra illud tempus temere se ingesserint, privantur perpetuo ipsis beneficiis. Ita statuitur in cap. Cupientes, § Cæterum, de Elect., in 6. Ubi eadem poena extenditur ad eligentes, vel opposites se electioni, qui intra tempus et modum ibi præscriptum ad Sedem Apostolicam non accedunt per se, vel per procuratores, aut per certas personas ad hoc destinatas ad reddendam totius negotii rationem. Ac tandem idem fere decernitur, cum aliquis postulatur, ut in eodem textu videre licet; hic enim casus ampliolem expositionem non requirit, quia fere non sunt jam in usu hujusmodi electiones.

### *Sexta in compromissarium eligentem indignum.*

6. Sexta etiam ad electiones pertinens est de compromissario eligente indignum; ille enim a beneficiis Ecclesiasticis triennio suspenditur ipso jure in c. Si compromissarius, de Elect., in 6, ubi etiam integra declaratio, quæ de hoc casu desiderari potest, traditur. Nam primo explicatur id intelligendum esse de illis beneficiis, quæ in ea Ecclesia elector obtinet, quam per talem electionem offendit. Secundo, quod hæc poena solum imponitur, quando electio fit ad Episcopatum, vel superiorem dignitatem. Tertio hæc poena non ligari, nec comprehendi